

www.e-rara.ch

Elementa Christianae religionis

Hyperius, Andreas

Basileae, 1563

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-19>

Ornatissimis viris praeceptoribus & paedagogis, Andreas Hyperius s.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ORNATISSIMIS

VIRIS PRAECEPTO-

ribus & Pædagogis, An-

dreas Hyperius

S.



AGNOPERE Sanè
optârim omnes qui dulcissi-
mos liberos suos cupiunt re-
ctè institui, probè scire, quã-
tum fidis Præceptoribus &

Pædagogis debeat. Credo equidem, si id illi
intelligerent, suam in hos declararent bene-
volentiam & gratias cumulatè agerent re-
ferrentq;. Quantò rectius, quàm nunc multi
Christiani, olim sensit gentilis rex Alexan-
der, ingenuè confitens, se Aristoteli, cui puer
formandus fuerat traditus, nõ minus quàm
patri Philippo debere, cum ab hoc quidè vi-
uendi, ab illo verò rectè viuendi accepisset ini-
tium. Sed credite mihi, ornatissimi viri, di-
gnitas & laus vestra crescet in immensum,
atque efficiet Deus, vt experiamini, non pa-
rentes modò, verùm ipsos quoque discipulos

Rationem
piè & Chri-
stianè viuē-
di in Scho-
lis Christia-
norū tradi
oportere.

didactra largiter rependentes, vbi cum liberalium disciplinarū præceptionibus illa quæ assiduè inculcaueritis, quæ ad vitam, nõ dico vtcunq; honestè & ciuilitè, sed Christianè formandam, conducunt. Nam honestè viuendi præcepta etiam gentiles ludimagistri admodum diligenter suis tradidere auditoribus, quod partim poëtarum, Hesiodi, Phocylidis, Pythagoræ carmina: partim Philosophorū & Oratorum, Platonis, Aristotelis, Isocratis, Ciceronis sententiæ & libelli parænetici luculentè ostendunt. Atqui quantulum id erit, obsecro, si in nostris scholis Christiani nihilo exhibeamus meliora, quàm olim in suis proposuerunt phrontisterijs Grāmatici, Poëtæ, Rhetores, Philosophi gentiles? Turpissimum profectò, Christianæ religionis cultores diligentia ac fide in docendo, vel in quauis alia officij parte à Gētilibus superari. Meminisse igitur vos Præceptores & Pædagogos Christianos oportet omnitempore, iccirco vos Christianorum ciuium filijs Christianis præfici, vt eam docendi rationem vsurpetis, qua disciplinas liberales &

quas-

quascunq₃ Philosophiæ partes dum explica-
tis, pariter ex vobis quotidie isti audiant
& addiscant præclara dogmata, exempla,
sententias, exhortationes, quarū ductu præ-
sidioq₃, mores eorundem ac tota adeo vita
decus quoddam antiquissimæ & laudatissi-
mæ religionis Christianæ præ se ferant in o-
mnibus. Enimuero Christianorum studia sta-
tim in actiones exire oportet. Quia verò
quod hîc à me proponitur, arduum ac diffi-
cile plerisque videri queat, non grauabor de
hoc instituto tradendæ pietatis Christianæ
in scholis vel domi intra parietes, aliquantò
diffusiùs vobiscum ornatissimi viri agere,
& qualecunq₃ consilium meum impertire.
Quamuis id ea lege faciam, vt non tam vo-
bisipsis quàm quibuscunq₃ alijs pietatis atq₃
doctrinæ spectatæ hominibus auctor sim ra-
tiones magis salubres excogitandi & in lu-
cem proferendi. Nam ab alijs emēdari, cor-
rigi & meliora fieri mea, non solum non æ-
grè fero, verum etiam magnopere opto. Per
suasum nanq₃ habeo, ita præcipiente charita-
te, Deum Patrem caelestem quod non pate-

Elementa pietatis ex libris sacris excerptur. *facit vni, id benignè aperire alteri. Ante omnia perquam necessarium duco, ab vnoquoq; præceptore Christiano ea explicari discipulis Christianis religionis nostræ elementa, quæ in libris sacris noui testamenti à Christo & beatis Apostolis descripta & ad omnem posteritatem cõmendata cernimus. Vnus verò de eorundem elementorum numero atq; ordine extat locus clarissimus epi-*

stolæ ad Hebræos cap. 6. *In elementis, inquit, initij eloquiorum Dei, siue in sermone qui rudes in Christo inchoat, Fundamentum iacitur, inquit, Pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei in Deum, Baptismatũ, Doctrinæ, ac Manuum impositionis, & Resurrectio- nis mortuorũ, & Iudicij æterni. Hæc septẽ capita Apostolorum ætate enarrari consueuisse omnibus qui Christo dabant nomen, extra controuersiam est. Quare eadem, etiam hoc tempore nostris liberis in infantia baptizatis simplici & facili interpretatio- ne ex Christi & Apostolorum sermonibus deprompta iure optimo proponentur, quando quidem ex his compendio haurire & im- bibere*

bibere cuncta poterūt quæ ad salutē sunt cognitu necessaria. Neq³ hīc audiemus indulgētissimos parentes, vel alios humanæ sapientię inani opinione inflatos, qui contendunt institutionem in rebus sacris nō decere pueros, teneram ætatulam causantes rerum cælestium neutiquā esse capacem. Si esse & audire volumus Christiani, æquissimum planē est ipsius Christi verbis locum demus. Is autem cum principes sacerdotum & scribæ ideo indignarentur, quòd pueri acclamarent ipsi in templo, Hosanna filio David: interrogavit eos, num legissent in Psal. Ex ore infantium & lactentium profecisti laudem? Sanē ubi Deus ipse paruulorum mentes atq³ ora ad suam laudem informat, non est quòd suspicemur eos in rebus sacris nihil posse assequi. Reprehendit etiam Christus suos discipulos, qui arcere ab ipso pueros & infantes volebant. Sinite, inquit, pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium est enim regnum Dei. Quibus paratum est à Deo regnum, iisdem meritò & doctrinam ad illud deducentem tradent

Etiam pueris explicari eadē elementa debere.

Matth. 21.

Psal. 8.

Luc. 18

2. Timot. 3. p̄p̄i p̄ceptores. Timotheum vult Aposto-
 lus in his quæ didicerat persistere, ac semper
 esse memore, à quo didicisset, & quòd à pue-
 ro sacras nosset literas. Origenes in præfatio-
 ne ad Canticum Solomonis, Gregorius Na-
 zanzenus in Apologetico, & post utrunq;
 Hieronymus in proœmio libri primi cōmen-
 tatorum in Iezechielem testantur, Iudæos
 pueris solere omnes libros sacros, exceptis
 principijs Geneseos, Cantico Solomonis &
 exordio ac fine Iezechielis, euoluendos com-
 mendare. Ac videmus quotidie vt pueri no-
 stri multos versus Poetarum, nonnunquam
 etiam parum pudicos, pleraque item in fabel-
 lis alijsq; narrationibus breui tempore asse-
 quantur & reddant cum gratia: quid ni igitur
 assuescāt ediscere ac recitare paucula de
 elementis Christianæ religionis? Et quò quæ
 huc pertinent percipiant facilius, distingui
 possunt tempora, vt in singulos dies ad horæ
 quadrantem, vel alternis diebus ad horæ di-
 midium particula quædā explanentur, quas
 die Dominico sequenti memoriter repetāt.
 Quo pacto in schola sacræ illius actionis præ-
 ibit

ibit *Vtilissimum tyrocinium*, quam postea idoneo tempore, quando Christiano ritu imponentur manus, perfici oportebit publicè in Ecclesia. Sic quoq₃ secare in partes licet, vt semel vnoquoq₃ vertente anno in omnibus classibus communiter elementa hæc pertraherentur. Itaq₃ prisca Ecclesiæ Christianæ laudatissimum fuit institutum pueros omnes à teneris vnguiculis percipiendæ doctrinæ religionis nostræ destinare. Origeni fundamentum iacenti in bonis literis pater Leonides libros sacros legendos obtrusit, in quibus ille celeriter mirandum in modum profecit, vt scribit Eusebius Ecclesiasticæ historiæ lib. 6. cap. 2. Auctor quoq₃ est Ruffinus lib. 10. cap. 14. puerum Athanasium & reliquos cum ipso colludentes, de omnibus Catecheseos capitibus probè respondisse, cum ab Episcopo & presbyteris interrogarētur. Nec dubium quin ydem pueruli Notario cuidā atq₃ Grammatico concrediti, progressus longè maiores fecerint. De Eusebio Emiseno, scriptum reliquit in ipsius vita Georgius Laodicensis, quod in ipsa pueritia ex libris sacris do

Quomodo
facile & cum
fructu expli-
cari possent.

*Et*rinā perceperit Christianæ pietatis. Exē-
plis eiusmodi abundant Ecclesiasticæ histo-
riæ. Quis igitur nostrum, suos liberos initia
doctrinæ celestis illico posse complecti ani-
mo, diffidat? Cæterum ut sacras hasce
prælectiones pueri & libenter audiant, &
paulatim multa in ijsdem cum fructu asse-
quantur, magnum momentum adferet ve-
stra in modo explicandi industria ac dili-
gentia. Esto igitur omnis interpretatio ele-
mentorum pietatis fidelis, perspicua, facilis,
& illis annis per omnia cōueniens. Erit autē
eiusmodi: si primūm verba simpliciter, pro
scholarum more cōstruantur. Rerum dein-
de explicationi admiscebuntur, sed quanta
fieri poterit breuitate, notissima & apertis-
sima quæque, tum dicta siue pronunciata,
tum facta siue historiæ hinc inde congestæ
ex prophetarum & Apostolorum volumi-
nibus. Ex re auditorum fuerit nonnulla in-
terdum addi de negotijs familiaribus crebrò
obuijs & captum puerilem non excedenti-
bus. Decalogi præceptum, de non furando
exponēs præceptor, commemorabit aliquid
de tem-

de temporis amissione in ineptis ludis, de fur-
tis puerilibus: quomodo D. Augustinum vi
demus referre ac dolere, quòd parentum præ
ceptorumque contemptis monitis, lusu pilæ
temporis multum perdiderit, quòd pira ab-
stulerit ex horto alieno. Scitè insuper
accommodabuntur ad institutum exempla
& sententiæ, similitudines, proueria ex o-
mnis generis bonis auctoribus, qui in schola
præleguntur, excerptæ. *Aenæidos* 2. hæc le-
guntur *Aenææ* qui toties pius appellatur,
Verba:

Panthus Otriades arcis Phœbiq³ sacerdos,
Sacra manu victosque Deos, paruumque
nepotem

Ipsè trahit, cursuque amens ad limina ten-
dit.

Panthum narrat eduxisse Troia iam à
Græcis incensa tenerum nepotē, deinde Pal-
ladium cum Dijs pœnatibus. Præceptor igi-
tur primum & secundum Decalogi præce-
ptum enucleans, adhibet peropportunè ho-
sçe versus, atq³ Gentilium deos demonstrat
non esse deos, utpote qui vincantur & se-

Confess. lib.
1. cap. 9. 10, &
lib. 2. cap. 4.

ipsos seruire haud possint, multo minus alios, sed sicut ab hominibus fiunt, ita egent ut ab hominibus custodiatur. Colligit hæc ex illis D. Augustinus de ciuitate Dei lib. 1. cap. 3. Rursus autem differens præceptor de quinto legis mandato, vel de vniuscuiusque in suo vitæ genere officijs, eosdem versus non iniuria reducet in memoriam, ad comprobandum, quid parentes filijs, quid uero filij parentibus præstare debeant. Possem autem eo pacto locos ex Cicerone, Terentio, Vergilio, Horatio cæterisque, quibus scholæ plurimum tribuunt, innumeros ad certa aptare Christianæ doctrinæ capita, sed breuitatis causa supersedeo. Nam apud Græcos Clemens Alexandrinus in 8. libris Stromatum, Iustinus Martyr in sermone exhortatorio ad Gentiles & libro de Monarchia, tum huius discipulus Tatianus Assyrius in oratione contra Græcos, dein cõtemporaneus Tatiani Theophilus Antiochenus in tribus libris contra Autolyicum: apud Latinos Septimius Florens Tertullianus, in opere De corona militis, De pallio, in Apologetico, Lactantius Firmianus

mianus Diuinarum institutionum lib. 7.

Augustinus passim in egregijs Voluminibus de Ciuitate Dei, Hieronymus in diuersis epistolis, sed illa potissimum ad Magnum oratorem Romanum, hanc rationem transferendi Gentilium dicta ad res nostræ religionis, multò clarissimè ostenderūt. Ac ne quis suspicetur hanc viã explicandæ doctrine sacræ posse à quoquã improbari, nos acceptam eam ferimus Apostolo D. Paulo, qui in grauissimis suis concionibus atque scriptis, apud Athenienses quidem versus heroici clausulam usurpauit ex Arato:

Act.17

τὸ γὰρ ἐγένετο ἐσμέν.

Et ex fortuita inscriptione aræ de ignoto Deo, materiã excerpfit carpenti superstitiones ac disputãdi de Christo. Epistolæ verò ad Corinth. Menãdri Comici inseruit senariũ:

φθάρσιν ἠὲ κρησὶ ὀμιλίαι κακαί.

1. Cor. 15

Porro calcar non mediocre subdetur pueris ad currendum alacriter in stadio pietatis, quando magistri studio ac data opera adnotabunt & memoria iubebunt retineri, quæcunq; inter profitendum usquã inciderint

In bonorum auctorum enarratione, si quid de pietate incidet, cõmonstrandum.

Vtilia ad Capitum quæ in elementis Christianæ religionis recensentur, illustrationē. Creberrimè enim in excellentibus scriptoribus, Poëtis, Oratoribus, Historicis, uaria occurrunt, quibus rectè comprobantur sana dogmata, aut Virtutes prædicantur, aut perstringuntur vitia. Commoditates nõ exiguas ex illis etiam scriptis decerpere eruditi Præceptores solèt, quæ partim propter confictas fabulas vel narrationes parum pudicas, partim propter alias res, existimantur sterilia, imò & noxia. Grauius dictum est à Basilio Magno in sermone quodam ad adolecentes, De Vtilitate capiēda ex scriptoribus gentilibus: Quemadmodum apes neq; ad omnes flores sine discrimine accedunt, neque etiam ad quos aduolant, totas auferre tentant, sed tantum exugunt quantum ad mellis conducit opificium: ita nos si sapimus, non nisi lectissimos scriptores sumemus in manus, & ex his ipsis quod sincerum & cum ueritate congruens, diligētè colligemus, cætera transfiliemus. Addit idem, se ab eximie literaturæ homine audisse, Homeri totam Poësin, nihil

nihil esse nisi laudem uirtutis: & ab eodem
 quam plurima in Homeri carminibus obser-
 uata, quæ uirtutem summis efferrent laudi-
 bus. Itaq; in Ulyſſe qui naufragio factò ena-
 tauit ac nudus eſt ſeruatus, exhiberi ab Ho-
 mero elegantiffimam imaginem, qua omnes
 homines ad parandam uirtutem excitantur,
 quæ etiam in aſperrimis difficultatibus atq;
 procellis manet incolumis, & uel ſola poteſt
 nudum reddere gratum omnibus. Eius gene-
 ris fabularum interpretationes concinnatas
 ad uirtutum laudationē, uel ad deteſtatio-
 nem uitiorum ſuppeditat multiplices Græ-
 cus ſcriptor Palephatus libro De non credē-
 diſ fabuloſis historijs, nonnullas apud Lati-
 nos in Mythologijs Fulgentius. Affirmat
 porrò Baſilius ſatis prolixè, pari cura debere
 cum facta, tum dicta illuſtria adnotari &
 in auditorum inſculpi mentibus, cum enar-
 rantur hiftoriæ. Alexander Magnus Da-
 rii filias quarum forma uehementer prædi-
 cabatur, captiuas habuit, nullam autem paſ-
 ſus eſt ad ſe deduci, timens ne qui uiciſſet ui-
 ros, ipſe aliquo modo à mulieribus ſuperare-

tur. Quo factò Basilius sentit nos admoneri, quomodo qui mulierem cum voluptate vel aspexerit, quamuis adulteriũ opere non perficiat, culpa tamen nequaquam vacet. Clinie item licuit per iusiurandum mulctam euadere trium talentorum, sed exoluere maluit quàm iurare, etiam cum rectè vti iureiurando potuisset. Is mihi videtur, inquit Basilius, præceptum Christi tenuisse quod iureiurando nobis interdicit. Sed operæpretium non est huic loco immoremur diutius, quando ex hæcenus dictis constare satis superq̄ potest, quomodo, siue Poësin, siue scripta oratoria, siue historias, siue partem aliquam Philosophiæ explanare quis aggredietur, decerpere omni tempore ex iisdem possit non pauca, ad claram & facilem exegesin elementorum Christianæ religionis idonea.

Ipsi præceptores pietate & sanctimonia præluceant cæteris.

His adiiciamus oportet, instrumentum aptissimum efficacissimumq̄, quo puerorum animis instillatur veræ pietatis studium, esse ipsorum Præceptorum grauitatem & morum sanctimonia, qua auditoribus siue ad honestas siue ad turpes actiones sequacibus, nunquam

nunquam non præluceat. *Homerus* *Achil*
lis præceptorem *Phœnicem* describit, ut elo
 quentia, ita virtute præstantissimum, quiq;
 non tantum bene dicere, verum etiam bene
 facere docuerit. Si *Diogeni* *Babylonio* credi
 mus, *Alexander* puer quavis generoso &
 excelsio animo à præceptore *Leonide* hausit
 vitia quæ robusto & potentissimo Regi per
 petuo adhererunt. In prolegomenis ad *Her*
mogenis *Rhetoricen* refertur, *Judices* cum
Tisiam discipulum callidè disceptantem au
 dirēt cum præceptore sophista *Corace*, aliam
 non tulisse sententiã, quam κακοῦ κόρακ
 κακόυ ὄον. Circumfertur & *senarius* à *Tha*
rasio in secunda *Synodo* *Nicæna* prolatus:
 κακῶν διδασκάλων κακὰ τὰ μαθήματα.

Maximus *Philosopus* magiæ ac superstitionibus
Gentilium deditus, *Iulianum* quavis
 initio in *Christianorū* manibus educatum,
 sua familiaritate atq; priuata institutione ta
 lem effecit, qualem eum postea *Christianus*
 orbis est expertus. Itaq; vos ornatissimi Præ
 ceptores *Christiani*, pro vestra virili parte to
 ti in hoc eritis, ut non tantum piè sanctè que

Trip. ar. hist.
 lib. 6. cap. 1.
 ex *Socrate*
Constantia

sentiatis, loquamini ac doceatis: Verum etiã
 quotidiana vestra actiones integra, sincere,
 professioni Christiana respondentes, &
 ab omni delicto liberae conspiciantur, imò
 quoad eius licet, ne suspicionem quidem cri-
 minis quouis modo ingeretis. Turpissimum
 est eum cui aliqui conceduntur liberaliter
 instituendi, bene docere & malè viuere: at-
 que ad alias quidem res inuitare ore, ad alias
 Verò opere. Facta semper magis afficiunt im-
 pelluntq; quàm dicta. Atq; ita est omnium
 puerorum ingenium, turpitudinẽ & quam-
 libet exigua propeque latentia errata Præce-
 ptorum citius imitatur, quàm oculis omniũ
 expositam honestatem. Caterum quò ad e-
 denda coram pueris egregia virtutum exem-
 pla sitis omni tempore experrecti & inten-
 ti, & cautè circumspicteq; nihil non agatis,
 vestra sanè interest, frequenter repetere me-
 Matth. 18 moria grauiissimum Christi dictum: Qui
 offenderit vnum de pusillis istis qui in me cre-
 dunt, expedit ei vt suspendatur mola asina-
 ria in collum eius ac demergatur in profun-
 dum maris. Tanti est in teneras mentes, quæ
 sunt

sunt veluti nouæ testæ quocunq; visum fue-
 rit liquore seu odore imbuendæ, exempla bo-
 na vel mala à Præceptoribus ab initio trans-
 fundi. Restat postremò, vt probi incul-
 patiq; Præceptores assiduè non tantùm com-
 monefaciant pueritiam sui officij, verùm e-
 tiam seueri sint Christianæ modestiæ ac pieta-
 tis censores & exactores. Ad præscriptum
 doctrinæ quæ in elementis religionis tradi-
 tur, iubeantur discipuli vitam ac mores stu-
 diosè cõponere. Bonis artibus nequicquàm
 sese addicunt, qui ita postulant fieri docti, vt
 nihilo quàm antè euadant meliores. Vobis
 igitur curæ sit, auditores vestros efficere
 quàm optimos & religiosissimos. Quo-
 circa vt quotidie mane & vesperi assisten-
 tibus vobis in schola preces communes
 ad Deum faciant: ne item cibum nisi præ-
 eunte oratione & gratiarum actione subse-
 quente capiant, providebitis. Ad sacra-
 rum literarum, quæ sole possunt eruditos ad
 salutem, & perfectos ad omne opus bonum
 reddere, amorem, lectionem quotidianam
 nunquam intermittetis incitare. Cuncta

Modestiam
 & pietatem
 Christianam
 exigant præ-
 ceptores à
 discipulis.

1.

2.

3.

2. Tim. 3

4.

quæ diebus festis in sacro cœtu peraguntur, concinuntur, præleguntur, vel pro concione dicuntur ad populum, præcipietis sanctè ab illis obseruari ac notari: interdum etiam recitari quasdam ibi exceptas sententias postulabitis. Quin etiã memoriter illis diebus reddent, quæ tota hebdomade in elementis religionis didicere. Commonefacietis porrò omnes, Vt quotiescunque se ad peccatum, siue ab alijs, siue à propria malicia sollicitari senserint, assuescant mentis aciem ad Dei præcepta confestim reflectere, & partim promissionum atque misericordix Dei, partim comminationum ac Diuini iudicij consideratione, improbas cogitationes, & Satanz insidias propulsare, abycereque.

Si vllis, certè his quotidianis exercitijs, supra quàm credi potest in vera pietate proficere quiuis perget. Vt autè cuiusq; ingenium tractandum esse deprehenderitis (siquidem alius indolis egregie laude ducitur, alium oportet obiurgari acrius): ita nunquàm cessabit vestra diligentia, hortari, instigare ad optima, & reprehendere ac damnare indecorè facta.

facta. Seueritas equabiliter adiunctam habens lenitatem, modò calcaris, modò freni vice esse queat. Duabus rebus, præmijs & pœnis contineri Rempublicam dixit Solon vnus è septem Græciæ sapientibus. Atqui in puerili Schola, quæ Umbra seu potius imago quædam Reipublicæ est, locum habere & exerceri strenuè oportet, quæ præmiorum ac suppliciorum censentur nomine. Certissimum autem benè collocatæ operæ vestræ & profectus discipulorum indicium, vitæ innocentia & morum in illis candor. Sed plurimum in eo positum est, si parentes non deperdant quibus liberos suos domi nimia indulgentia. Audimus sanè nonnullos vociferantes, in scholis admirabiles cerni corruptelas. Non omnino id negatur, vbi præsertim est auditorum frequentia. Sed addendum: plures huc illas domo afferre, quàm hic addiscere: ac subinde quantum pij Præceptores moliuntur in schola, tantum rursus in domo diruere conuiuentes patres, blandulas matres, adulantes pedissequas, ancillas, obsequentes ministros. Atqui Christianos patres in

Parentes domi liberos non corrumpant, sed ad pietatem inuitent.

Exod. 13 primis decet, quemadmodum Deus præci-
 Deut. 6. & 11 pit, & Apostolus, filijs exponere Dei volun-
 Ephes. 6 tatem, eosdemq³ per eruditionem & corre-
 1. Samuel. 1 matrum interest, Hannam quæ de institu-
 2. Timoth. 1 tione Samuelis anxie fuit sollicita, Loidem
 Confess. lib. auiam, et Eunicam matrem Timothei qua-
 3. cap. 12, & rum fidem celebrat Apostolus, deniq³ Mo-
 lib. 6. cap. 1. nicam quæ difficili & longa peregrinatione
 multisq³ cum lachymis quærebat salutem fi-
 lij Augustini, sedulo imitari. Quid olim fe-
 cisse existimamus patres familiâs Christia-
 nos, cum scholæ nullæ paterent nisi Genti-
 lium, in quibus quasi non satis malorum es-
 set, spurca & pudenda de Dijs Gentilium
 enarrari commenta Poëtarum, proponeban-
 tur insuper idq³ iussu Imperatoris Maximi-
 ni circiter annum Domini 240, quæ in tene-
 ris mentibus perpetuum Christi ac puræ re-
 ligionis odium imprimerent, AËta videli-
 cet quadam contra Christum apud Pilatum
 flagitiosè conficta, testante Eusebio lib. 9.
 cap. 5. & 7: aut tempore infecuto quo Iulia-
 nus Apostata circiter annu 360, quarum-
 cunque

cunque scholarum ingressu Christianorum liberis, (quemadmodum refertur à Theodoro lib. 3. cap. 8.) interdictum lege lata voluit? Tunc procul dubio coacti sunt ipsi parentes, tam quæ ad literas quàm quæ ad pietatem pertinent, dies noctesque magna cum molestia suis domi instillare. Ac Tertullianus in libro de Idololatria, quòd Christianorum pueri in scholas mitteretur Gentilium, significat propter necessitatem fuisse excusatum; verum eatenus admissa excusatio intelligitur, quoad parentes tunc religionis principia domi accurratè tradiderunt. Ceterum quando postea contigit aperiri scholas, in quibus Præceptores Christiani præter disciplinas liberales palàm explanare cœperunt doctrinam religionis, ut Alexandria, ubi Origenes, Dionysius, Athenodorus multiq; alij extitere clari professores, Cæsareæ ubi docuit teste Nicephoro lib. 5. cap. 37. Pamphilus presbyter, Antiochiæ quæ habuit in omni disciplinarum genere excellentem Malchionem (ut scriptum reliquit idem Nicephorus Callistus lib. 7. cap. 29): tunc primū,

inquam, bene agi coeptum cum Christianis parentibus, quibus datum est curarū & solitudinis partē aliquā in Præceptores reijcere. Sed enim nunc passim scholas habemus, Deo laus & gratia, in quibus pietas & bonæ artes pariter, incredibili diligentia, ac longè quàm superiori memoria purius, succinctius, dilucidius à doctissimis viris explicantur. Quocirca animaduertunt parentes, sui esse officij saltem domi liberos ad pietatem religionisque studium stimulare, atque quotidianis exercitijs & exemplis intra priuatos parietes attrahere, impellereq; denique tales emittere in scholas, qui ad reliquā pueritiam malorum morum scabiem nullam importent aut diffundant. Nam ex puerorum vitiositate, non modò toti discipulorū agmini ingens creari periculum, Verùm etiam Præceptoribus ipsis graues exhiberi molestias, sciunt omnes. Perplacet Verò Aposto-
 Galat. 6 lo, vt omnes discipuli Præceptoribus, his præsertim qui Elementa monstrant Veræ pietatis quos olim Catechistas dixerunt, meritam gratiam iustis honoribus & memori mente
 | persol-

persoluant. Quamobrem admonitos, imò ro-
 gatos per Iesum Christum volo parentes
 vniuersos, vt quàm chara & grata est ipsis
 Christiani nominis honorifica appellatio,
 tam serio & quod suis liberis domi, & quod
 Præceptoribus fideliter laborantibus in scho-
 la debent, præstare satagant. Qui suorum cu-
 ra non tangitur, infideli quouis est deterior. 1. Tim. 4

Ad vos redeo ornatissimi Præceptores Præceptores
 & Pædagogi. Vos præ tot hominum milli- Christianam
 bus ornauit Deus eximijs donis, vt parentes pietatem do-
 esse animorum et docere alios pietatem per- cere constan-
 inde atque bonas literas queatis. Cogitate igitur, & Deum ipsum pro ijs quæ in vos con- ter pergant.
 tulit beneficijs, & pios parentes, qui suos ma-
 gna cum spe ad vos deducunt liberos, illum
 quidem suo iure, hos verò summis votis, id
 à vobis petere, vt omnem adhibeatis dili-
 gentiam in explicatione elementorum pie-
 tatis: certò persuasum habentes, præmia non
 contemnenda vos, cum à Deo, tum à paren-
 tibus, denique & à discipulis accepturos. Pie-
 tatem asseuerat Apostolus promissiones ha- 1. Tim. 4
 bere & præsentis & futuræ vitæ. Quid igitur

tur non expectent à Deo et hominibus præ-
 stantissimi Præceptores, qui alios quàm plu-
 rimos, non doctrina modo, Verùm etiam
 exemplis ad pias actiones quotidie instituunt
 & exercent? Quare à sanctissimo laudatissi-
 moque proposito formandæ pueritiæ, ne-
 mo hominum sua vos deterreat importuni-
 tate aut ingratitude, neq; vnquam scho-
 lasticis laboribus vel tædijs vos frangi patia-
 mini. Enimuerò improbi homines, qui indu-
 striam atque sedulitatem docentium pueros
 vituperent irrideantque, semper aliqui sunt
 futuri. Non paucos inuenias planè Epicuri
 de grege porcos, qui religionem apertè con-
 temnunt abijciuntque, & malè collocari ac
 perire omne tempus iudicant, quod rebus sa-
 cris impenditur. Alij sapientes & modesti
 affectant videri, Præceptores tamen nolunt
 nisi qui sola Gentilium euoluant scripta, &
 gentiliter viuant ac sentiant. Simul ac ele-
 menta religionis attingi à quopiam conspi-
 cantur: mirabiliter ringuntur, fremunt, in-
 dignantur, & non dicendis artibus faces-
 sunt ei negotium. Alij denique alijs modis
 puero-

puerorum in doctrina religionis profectum student impedire aut certe tardare. At vos quibus patefacta Diuinitus est Christi veritas, quibus ἀγορεύετης Christus premia decernit in caelis nunquam peritura, contemnere decet omnes omnium machinationes, atque insigni virtute ac fortitudine, in docendo pergere, & veterū heroum qui monstra expugnarunt, more, quascunque vincere difficultates. Impius Iulianus cum exercitu proficiscens contra Persas, minatus fuerat, se à reditu ad Christianorum internecionem tentaturum omnia: quare sophista Libanius stolidè elatus & Iuliani optans ac sperans victoriam, ad pium quendam Pedagogum Antiochenum, nostram irridens religionem ait: Quid credis nunc agere fabri filium? Sic per contemptionem notabat Christum. Verum Pedagogus spiritu Dei procul dubio afflatus: Creator omniū, inquit, quem tu fabri filium irridens nominas, Iuliano concinnat oculū. Ac post paucos dies aduectus est in loculo Iulianus mortuus. Agite porro & vos instructi, armati & vigiles sem-

Theodoret.
lib. 3. cap. 23

per sitis, parati quæcunq; tela excipere, quæ
 & mox in hostes pia quadam solertia retor-
 queatis: ad illa autem omnes intendatis ner-
 uos, ad quæ vos Diuinitus esse vocatos, spi-
 ritus sanctus cum spiritu vestro testatur.
 Equidem pueritiæ docēdæ munus, vocatio-
 nem interpretor longè dignissimam, quando
 non potest reuerà in illo constanter & cum
 laude versari, nisi quem Deus ipse exciue-
 rit, & collatis amplissimis donis reddiderit
 renunciaueritq; idoneum. In scholis quam-
 libet paruis, minutæ & tenuissimæ res spar-
 guntur à Præceptoribus & colliguntur à pue-
 ris, sed quarum vsus ad condendas ac fulcien-
 das Ecclesias & Respublicas plurimum est
 necessarius, vt profectò sapienter sentire ar-
 bitrer, qui scholas Ecclesiarum & Rerum-
 publicarum appellant seminaria. Ac docet
 ipse rerum euentus, non ferè alios in Ecclesia
 seu Republica bonos & sapientes ciues appa-
 rere, quàm in quibus dum pueri adhuc es-
 sent, timor Dei, hoc est, vera pietas eluxerit.
 Adeo enim verum est, timorem Domini
 tam in docentibus, quàm in discipulis cer-
 tissimum

tissimum esse scientiæ argumentum, ut quos
 siue Præceptores siue discipulos animaduer-
 timus illius expertes, nequâquam æstime-
 mus Gentilibus digniores. Quæ igitur ego
 de elementis Christianæ religionis ante an-
 nos aliquot, à pijs ac doctis quibusdam Præ-
 ceptoribus sæpius rogatus, ex literis sacris
 congesi, ea vobis ornatissimis Præceptori-
 bus ac Pædagogis, Christianæ religionis cul-
 toribus & in discipulorum cœtu præconi-
 bus sincerissimis, nuncupo ac dedico: orans
 vos ut non tam hæc ipsa elementa siue prin-
 cipia pietatis, quàm quod iam exposui consi-
 lium de eorundem recta explanatione, eo ac-
 cipiatis animo quo à me offeruntur. Quin-
 etiam coram Deo ac Domino Iesu Christo
 qui breui iudicaturus est viuos & mortuos
 in apparitione sua & in regno suo, vos ego
 obtestor, (Paulinis libenter utor verbis) ut
 fidelem in tradenda pietatis doctrina na-
 uetis operam, & quoad eius fieri dabitur,
 vestros auditores indies ad maiorem verita-
 tis cognitionem prouehatis. Valete. Calen-
 dis Februarij, 1563.

*Pueros decet ad Christum adduci,
& Veram discernere pie-
tatem.*

- Matth. 19 Attulerunt ad Iesum pueros vt tangeret illos.
 Marc. 10 Discipuli verò increpabant eos qui adducebant.
 Luc. 18 Quum vidisset autem Iesus, indignatus est, & dixit illis: Sinite pueros venire ad me, ne prohibete illòs: talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquaquam ingreditur in illud. Et cum cepisset illos in vlnas, impositis manibus super illos, benedixit eis.

*Capita doctrinae religionis Chri-
stianae.*

- Heb. 6 Fundamentum iacentes Pœnitentiæ ad operibus mortuis, Fidei in Deum, Baptismatum, Doctrinae, ac Manuum impositionis, & Resurrectionis mortuorum, & Iudicij æterni.

In doctrina pietatis proficientes, Deum celebrare & fructus aliquos proferre studeant.

- Matth. 21 Cùm vidissent principes sacerdotum & scribae mirabilia quæ Iesus fecerat, & pueros clamantes in templo & dicentes: Hosanna filio Dauid: indignati sunt & dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt? Iesus autem dicit eis: Quid ni: Nunquam legistis: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

Persi.

*Persistant omnes in doctrina sana
semel accepta.*

Persistito in his quæ didicisti, & quæ tibi con- 2. Timoth. 3
credita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à
puero sacras literas noueris, quæ te possunt eru-
ditum reddere ad salutem per fidem quæ est in
Christo Iesu.

*Discipuli gratos se præbeant do-
ctoribus.*

Communicet autem qui catechizatur Galat. 6
sermone ei qui se catechi-
zat in omnibus
bonis.

Tractatus de doctrina
et disciplina

Tractatus de doctrina et disciplina
et disciplina
et disciplina

De doctrina et disciplina

Galat.

Et disciplina

bona